

laborant, & hæc ipsa sua firmitate, ac stabilitate immobilis, salva & integra perseverat: Porta inferi non prevalebunt adversus eam. Hinc dicitur Preparatus mons. Cum dicitur Preparatus, idem est ex radice Hebraica, ac fundatus, firmatus, ac instructus Proverb 3, num. 27. Quando preparabat, id est fundabat celos aderam. Psalm. 23, n. 2. Super flumina preparavit, id est firmavit, stabilivit eam, scilicet terram.

Proverb. 8.

Psalm. 23.

3.

D. Cyrill. D. Basil. D. Bernard. D. August. Origenes.

Cornelius.

4.

5.

Psalm. 147.

Act. 2.

Marc. ult. 6.

Matth. 16.

nunquid potest civitas abscondi super montem posita. Et ideo in exordio militantis Ecclesie, venit S. Spiritus vehementi sono apparentibus dispersitis linguis tanquam ignis, Act. 2. Ignis ardet, & lucet, quia virtus divini Spiritus ardet in corde, lucet in opere per totum orbem: ait Regius Vates Psalm. 18, in sole posuit tabernaculum suum D. August. ibi In manifestatione Ecclesiam suam posuit, non in occulto D. Crisost. in Haim: Facilius: ait est, Solem extinguam, quam Ecclesiam obscurari. Et sic communiter omnes Sancti Patres multis in locis.

Act. 2.

Psalm. 18. D. August. D. Chrysost.

7.

Contra hanc visibilitatem Ecclesie se opponunt Hæretici, & nos arguunt tanquam contraria tenentes. Dicimus in simbolo fidei, Credo unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Tunc sic contra nos argumentatur Lutherus lib. de abroganda Missa privata, part. 1. Quis Ecclesiam nobis monstravit? Cum sit occulta in Spiritu, & sola credatur? Sicut dicitur Credo Ecclesiam sanctam. Et discipulus ejus Brentius in Confessione Vitebrege ait: Vide quod Papista faciunt Ecclesiam visibilem, & sensibus corporeis perspicuam, delendus ergo erit ille articulus symboli Apostolici: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam & erit sic reponendus, Video & sentio Ecclesiam Catholicam. Fides est de re quæ non apparet, nec videtur juxta Apostolum, Fides est argumentum rerum non apparentium.

Lutherus.

Brentius.

8.

Facile solvitur argumentum, quia de Ecclesia sancta Militante in terris, sic philosophandum, ac de aliis mysteriis nostræ fidei, in quibus aliud videmus, aliud credimus, v. g. Apostoli videbant in Christo humanitatem, & credebant Divinitatem. In Baptismo videmus aquam externam, & ablutionem, trinamque meritionem, & credimus internam vim regenerandi in Christo, & extinguendi peccata, sic & in Ecclesia videmus externam Congregationem fidelium, gubernatam per multos ministros, ac Episcopos, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Act. 20. sub uno Principe, ac capite Romano Pontifice, cui Deus tradidit claves Regni cælorum. Matth. 16. & hoc videmus; tamen firmiter credimus in hac sancta Ecclesia Christi, & in nulla alia, esse veram gratiam, salutem, ac remissionem peccatorum, hæc autem cum sint spiritualia exterius non apparent, nec videntur, sed tantum creduntur; unde rectè dicimus, Credo Ecclesiam sanctam, &c.

Act. 20.

Matth. 16.

QUESTIO II.

Ecclesia Sancta Dei una est.

SUMMARIUM.

- 9 Ecclesia Dei una ab Exordio mundi habens diversos status.
10 Exemplo explicatur status Ecclesie.
11 Unas Ecclesia maxime visitur in Ecclesia Evangelica Christi.
12 Ex multiplici capite ostenditur hæc unitas Ecclesie.
13 Hæc unitas Ecclesie est sub uno capite Romano Pontifice.
Esti multi Pontifices pro tempore, in eis semper fuit una doctrina, una lingua. Ibid.

14 Apud

- 14 Apud Hæreticos cum non sit unum Caput sum multa Secta, quæ pugnant inter se.
15 Et si multa Ecclesia sub una Matrice tantum.

9. Rectè dicimus in simbolo; Credo unam Sanctam Ecclesiam Catholicam. Dicitur una Ecclesia loquendo de ea, etiam à principio mundi usque modo. In eadem semper fuit una divina fides, ante legem nempe, sub lege, ac in Evangelio, intendens in Deum ut Auctorem supernaturalem, respiciens Christum in lege sub umbra, in Evangelio ut realiter presentem, Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Tamen semper fuit eadem fides, ea semque Ecclesia habens diversos status, diversasque ætates, quod exemplo declaratur.

Joan. 1.

Idem homo, qui fuit infans, postea fit puer, tandem vir perfectus; infans lacte nutritur. Puer regitur à Pedagogo. Vir perfectè intelligit, loquitur, & docet. Sic & Ecclesia ante legem velut infans, divinis inspirationibus velut lacte alabatur. Sub lege, erar velut sub pedagogo legis, & Prophetarum. Sic ait Apostolus ad Galatas 1. num. 24. Lex Pedagoga noster fuit in Christo, ac ubi venit fides jam non sumus sub pedagogo. At in lege gratia Apostoli induti virtute ex alto repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur magnalia Dei. Act. 2. & inde ut viri in perfecta ætate constituuntur à Christo Domino Magistri, ac Doctores totius universi, cum eis ait: Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Matth. 28.

10.

Galat. 3.

Act. 2.

Matth. 28.

11.

Matth. 16.

Ephes. 2.

12.

1. Cor. 12.

Joan. 17.

Act. 4.

Ephes. 4.

Hæc autem unitas maxime visitur in Ecclesia Evangelica Christi, sic ipse dixit Petro Matth. 16. Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, non ait Ecclesias meas, quia hæc una est, tam ratione fundamenti, quam ratione lapidis angularis, in qua tota coadunatur, ac copulatur; inde ait Apostolus 2. ad Ephes. Edificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Fundamentum unum, & unicum est Prophetarum, ac Apostolorum, eorum doctrina unanimis, conformis, ac coherens est, quæ coadunatur, ac copulatur in uno Christo Jesu lapide angulari.

Hæc unitas in Ecclesia ostenditur ex unitate Sacramentorum, quæ ad hoc instituta sunt, ut in unam fidem colligamur, ideo ait Apostolus 1. Cor. 12. Omnes nos baptizati sumus in uno Spiritu, ut simus unum corpus sive Judæi sive Gentiles, sive servi, sive liberi, omnes in uno Spiritu potati sumus. Ad hoc tendunt, ut uniant omnia Ecclesie membra in unam fidem, Hæc etiam unitas ex charitate ostenditur, per quam Ecclesia una est unitate voluntatis, juxta quod Christus à Patre petebat, Joan. 17. Pater sancte conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Hæc unitas apponit in exordio Ecclesie, Act. 4. Multitudinis crederentium erat cor unum, & anima una. Unitate etiam minus spei ait Apostolus ad Ephes. 4. Observate vos, ut dignè ambuletis in una spe vocationis vestre. Maximeque in unitate fidei, ac credibilitate ut ait idem Apostolus citato loco. Unus Deus, una fides, unum baptisma, unus pater omnium: quod magis sequenti numero explico, Sylveira Opuscula.

Maximè ostenditur hæc unitas ab uno capite visibili Christi Vicario in terris, ac Petri successore Romano Pontifice: nam sicut Regnum ab uno Rege dicitur, & Civitas ab uno Governatore, familia ab uno Patre, grex ab uno Pastore; sic Ecclesia una dicitur ab uno Principe, Governatore, ac Patre, ac Pastore, de qua unitate ait Dominus per Ezechiel. 37. Faciam eos in gentem unam, & Rex unus erit omnibus imperans. Pastor erit unus eorum. Et tanta unitate, ac uniformitate in rebus fidei desinens, ut eam à D. Petro usque ad Sanctiss. D. nostrum Clem. X. extenc 243. Pontifices, tamen semper in eis fuit unus Spiritus, unaque coherencia in dogmatibus fidei declaratis, ut nulla sit contrarietas, nec discrepantia, sed summa consonantia, ac coherencia, tanquam si uno ore, ac lingua loquerentur. Rectè D. August. in Psalm. 74. ai: Qui volunt unam linguam, veniunt ad Ecclesiam quia in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis. Unde rectè ai. D. C. prius de fide, Neque enim aliunde hereses abortiunt; aut nata schismata, quam quod Sacerdoti Deus non obteneratur, nec unus in Ecclesia Sacerdos, vel Index vice Christi cogitatur.

13.

Ezech. 37.

D. August.

D. Cyprian.

14.

Florimond. Hortus Itorum.

Isai. 19.

15.

Apoc. 1.

Cum ergo apud Hæreticos non sit unum caput, nec apud eos est una Ecclesia, sed multiplices, & diversæ Sectæ, quas unusquisque pro suo capite cogitat, & format, ita ut restantur Florimundus Remondus lib. 2. de ortu Hæreticorum, & Jacobus Marchantias in Horto Itorum. Pastorum, lib. 1. tract. 4. sect. 5. Preposit. 3. à tempore Lutheri plusquam centum diversæ Sectæ exorta sint & toridem ferè sub Calvino, inde quidam dicuntur rigidi Calvinistæ, alii Molles, alii Politiani alii Angelo-Calvinistæ, alii Papistæ, alii Gommaristæ, alii Ariministæ, qui omnes maxime inter se pugnant, & adversantur, De his ait Isaias 19. Concurrere faciam Aegyptios, adversus Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & Civitas adversus Civitatem, & regnum adversus regnum, & dimumpetur Spiritus Aegypti in visceribus ejus, & Concilium ejus precipitabo. Rectè, per Aegyptios, qui tenebras important, & dicunt, Hæretici interpretantur, qui in densissimis errorum, ac perveritatum tenebris versantur, de quo aliquid quasi sequenti.

Nec contra ea quæ dicimus de unitate Ecclesie pugnat, quod sanè Scriptura plures Ecclesias nominat, sive Joan. Apocalypseo 1. Septem Ecclesias nominat, Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Sic & Apostolus salutatur Ecclesiam, quæ est Corinthi, non tamen sunt plures Ecclesie, sed una in se, tanquam multa membra sub uno capite, à quo reguntur, & tanquam multi rami ab una radice, à qua sustentantur, ac aluntur, & tanquam multi fluvii ab una scaturigine, sive omnes Ecclesie fidem, Sacramenta, doctrinam; ac omnia documenta ab una Ecclesia Christi participant, hauriunt, & firmiter tenent, ita ut in omnibus sit eadem fides, eadem Sacramenta, eadem doctrina, eadem documenta cum summa uniformitate absque ulla discrepantia.

QUESTIO III.

Ecclesia Dei dicitur Sancta.

SUMMARIUM.

- 16 Scriptura Ecclesiam sapè Sanctam appellat.
- 17 Assignantur sex rationes, ob quas Ecclesia dicitur Sancta.

16. **D**ivino Spiritu afflante in sacris Conciliis Nicæno, & Constantinopolitano in Symbolo dicta est Ecclesia sancta, passimque eam Sanctam Sacra Scriptura appellat. *Psalm. 92. Domum tuam decet sanctitudo Domine. Psalm. 45. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Psalm. 2. Introducit Christus loquens: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super sion montem Sanctum ejus. Apostolus ad Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aqua in verbo vite, ut sit sancta, & immaculata.*

17. Recte in symbolo dicimus, *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam.* Et primò rectè dicitur Sancta, quia caput ejus Sanctus Sanctorum est. *Dan. 9. Secundo, Sancta quia tota Deo dedicata, ac consecrata est, serviens in omni justitia, ac puritate. Apoc. 21. Vidi civitatem novam Jerusalem descendentem de celo; totum quod in ea est, de celo est, de celo descendens in novitate Spiritus. Tertio, Sancta, quia continet sanctitatem doctrinæ, tam quoad fidem, quam quoad mores, utpote edocta ac illustrata à divino Spiritu, ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Joan. 14. Quarto, Sancta, quia in ea sunt media, & instrumenta sanctitatis, nempe Sacramenta, per quæ sanctificamur. Unde Apostolus ait Ephes. Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aqua in verbo vite, ut sit sancta, & immaculata. Quintò dicitur Sancta, quia in ea nihil aliud est, ac invenitur, nisi vera sanctitas, quæ nos ducit ad consummatam sanctitatem in cælis. Unde possumus dicere cum Jacob. Gen. 27. Non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cæli. Sextò, Sancta dicitur, quia tanquam mater, magnam, ac innumerabilem multitudinem Sanctorum, Martyrum, Confessorum, ac Virginum generat; de quo quæst. sequenti aliqua dicam, & de hac Ecclesiæ sanctitate multa scribunt Auctores, quæ sunt valde manifesta.*

QUESTIO IV.

Rectè Sancta Ecclesia dicitur Catholica.

SUMMARIUM.

- 18 Quadam pictura pro universalitate ac unitate Ecclesiæ.
- 19 Ecclesia dicitur Catholica, quia per omnia tempora se extendit & n. 20.
- 21 Secundo dicitur Catholica, quia recipit Omnes homines cujuscunque conditionis.
- 22 Tertio dicitur Catholica, quia per omnes

terras, & imperia dilatatur, ac se extendit.

- 23 Universalitas Ecclesiæ juxta D. Augustinum figuratur in Christi veste.
- 24 Fides Christi Romana predicatur per omnes remotissimas nationes.
- 25 Cum fides Romana teneat omnes partes orbis rectè sola dicitur Catholica & n. 26.
- 27 Hæc universalitas vera fidei Christi evidens signum.

Nulla sanè validior machina ad omnes hæreses evitandas, ac destruendas, quàm quod nostra fides Ecclesiæ Romanæ dicitur catholica; nam hic titulus datus est in formula fidei in Concil. Nicæno, ut Ecclesia dicitur Catholica, id est, universalis, ut scribit D. Athanasius episcopus ad Iovinianum. Hinc quidam satis curiosè depinxerunt Ecclesiam habentem in una manu globum mundi cum hoc scripto Catholica, ut significarent ejus universalitatem. In altera manu erat Phoenix, ut significarent ejus singularitatem, ac unitatem, hoc scripto unica semper.

Dicitur ergo Ecclesia Catholica, quia per omnia tempora extendit palmites suos, quia per omne tempus semper Ecclesia inter multas persecutiones perseveravit, ac stetit sub uno Romano Pontifice, multis Episcopis, ministris, ac operariis peccatorum in annorum ut anno per annum continet ex Actis Pontificum, ac multis aliis historiis. Hinc bene dicitur Ecclesia fundata super firmam petram, ob ejus firmitatem, & constantiam, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. *Math. 16. ut ibi ex Sanctis Patribus explicavi, & hanc perseverantiam per tot tempora vaticinatur David Psalm. 92. Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Unde rectè ait D. Papias, Barcinonensis episcopus ad Simproniam, quæ est de nomine Catholico. *Certe non est ab homine inventum, quod per secula tanta non cecidit.*

Et per hanc proprietatem maximè distinguitur nostra Ecclesia facta, ac Romana, ab Ecclesia, seu cætu Hæreticorum, quia hæreses, quæ sub uno sæculo sunt nate, statim post aliquod tempus desierunt, & exterminatae sunt, ac in infernū demerunt; nam à Christo D. ferè plusquam mille, & septingentæ hæreses prodierunt, de quo Florimundus Remundus lib. 1. de ortu hæreticorum, & omnes ferè abolitæ, ac suffocatae sunt. Unde rectè D. Augustinus comparat torrentibus hyemali tempore cum strepitu currentibus sed paulo post nil nisi arenam, & sordes relinquentibus. *Illud Psalm. 57. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Sic ibi explicat D. Augustinus, *Non vos terreant fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur, aqua ad tempus perstrepat, mox cessant, diu stare non possunt: multæ hæreses jam mortuæ sunt; cucurrerunt rivis suis, quantum potuerunt: siccati sunt rivus, vix eorum memoria reperitur, ad nihilum devenerunt, tanquam aqua decurrens.*

Secundo, dicitur Catholica, quia recipit homines cujuscunque conditionis, ac stans, nec est uni familiæ alligata, sicut lex antiqua; modo Ecclesia Catholica: nam ut ait. Apostolus, Rom. 10. num. 12. *Nam jam non est distinctio Indæ, & Græci idem Dominus omnium, qui invocat illum, sive sint Indii, Persæ, Æthiopes, & ideo quando lex Evangelica promulgata est*

Actor. 2. Apoc. 7.

aderant in Jerusalem viri ex omni natione, quæ sub celo est. Actor. 2. & ideo vidit Ioan. Apoc. 7. Turbam magnam ex omnibus gentibus, populis, ac linguis stantes ante thronum.

22.

Tertio, Catholica, id est universalis, quia per totum orbem omnique gentes diffusa est, hoc est magnum, & fortissimum argumentum nostræ Sanctæ fidei Catholice Romanæ, quia in die Pentecostes juxta vaticinium Isaia, de quo quæst. 1. De Sion exiit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et inde sacri Apostoli exeuntes totum orbem sua doctrina impleverunt, juxta quod de illis scriptum est Psalm. 18. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum, & adimpletes Christi præceptum

Isaias.

Psalm. 18.

Math. 23.

Marc. 16.

Luc. 24.

Malach. 1.

23.

Joan. 19.

D. August.

24.

24.

25.

D. August.

Math. ultimo: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Marc. ultimo: Predicave Evangelium omni creature. Luc. ultimo: Opprobriat, &c. Prædicavit penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Malach. 1. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.

Hanc Ecclesiæ universalitatem per totum orbem significatam esse in Christi veste, quæ in quatuor partibus divisa est à militibus. Joan. 19. n. 23. ait D. Augustinus tract. 118 in Ioan. Quadri partita vestis Domini nostri Jesu Christi quadripartitam significat Ecclesiam toto scilicet, qui quatuor partibus constat, orbe diffusam, & omnibus eiusdem partibus equaliter, id est concorditer diffusam, propter quod dicitur alibi missurum se Angelos suos, ut colligant electos ejus à quatuor ventis, quos quid est, nisi à quatuor partibus mundi Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie.

Convenient nunc hic omnes Hæretici. Quam Ecclesia, quam fides, ac doctrina, totum adimplet orbem per omnes mundi partes apud remotissimas nationes, Græcos, Armenos, Sinas, Indos, Tartaros, Persas, Æthiopes, Turcas, Brasilios, Mexicanos, &c. Quam doctrina prædicatur, & colitur, ac observatur, nisi tantum fides Catholica Romana, omnibus in his locis reperitur. Tempore Romano, Altaria, Imagines Christi, ac Sanctorum, quæ mirifice coluntur, ac venerantur, celebrantur Missæ, administrantur Sacramenta, & doctrina Ecclesiæ Romanæ observatur. Num quid apud has remotas nationes auditur Lutherus, Calvinus, & eorum sectatores, minime sane; ergo solum fides, quam profitemur Ecclesia Romana est vera & Catholica: Hæreticorum autem in uno angulo falsa, & diabolica.

Solum ergo Ecclesia Romana cum totum orbem adimpleat, ut sibi proprium, retinet hoc nomen Catholica, quia ut vera Ecclesia Christi tenet quatuor orbis partes, quod est validum argumentum illius veritatis, ac veræ Christi fidei. D. August. in cap. 9. Joannis ait: *Multa sunt, quæ in gremio Ecclesiæ Catholice me tenent, tenet me consensus populorum, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, veritate firmata. Tenet ab ipso Petro Sacerdotum successio. Tenet postremo ipsa Catholica nomen, quod inter tot hæreses Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici Catholici se dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticus Sylveira Opuscula.*

corum Basilicam suam audeat ostendere. Cum aperire eorum initia agnoscamus, ut in Lutero, Calvino, ac aliis, qui pro suo cerebro novas sectas inveniunt, quæ tantum in uno vel altero loco breviter nascuntur, & statim decidunt, ac minime per quatuor orbis partes diffunduntur.

Eodem modo D. Cyrillus Jerosol. Catechesi 18. ait: *Si jveris in aliquam urbem, non petas ubi sit Ecclesia, vel domus Dei: nam Hæretici dicunt se habere domum Dei, Ecclesiam, sed petas ubi sit Catholica Ecclesia. Id enim nomen proprium est hujus Sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrum, quasi dicas, si hoc petas, nullus Hæreticus suam Ecclesiam ostendet. Similiter D. Hieron. in cap. 24. Math. ad illa verba, sicut fulgur.*

Hæc est maxima nota, ac evidens signum fidei Divinæ, ac Ecclesiæ Sanctæ Dei, quod sit universalis, ac per totum orbem divulgata. Hinc ait Isaias 49. n. 12. *Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari & isti de terra Australi. Osorius, & Arias Montanus Cornelius, & isti de terra Synarum; & hos ponunt, quia Synæ longissime distant, sunt in extremo Oriente juxta Japonem; proximam habent Tartariam, vel etiam hos possunt, quia ut tradunt Maffeus lib. 6. Botterus Ortelius de Sionis, eorum Imperium amplissimum est, habens Civitates vulgares 1150, majores vero 247. Per has omnes nationes fides Christi Catholica Romana, Quid stultius, ac insipidius, quam fides Christi, quæ data est pro toto orbe, quod velit eam Hæreticus pro suo cerebro, in uno angulo continere, ac habere. Unde ait D. Hieron. citatus in cap. 24. Math. Stultum est enim in parvo loco, vel abscondito querere, qui totius mundi lumen sit.*

QUESTIO V.

Optimo jure Ecclesia Sancta dicitur Apostolica.

SUMMARIUM.

- 28 Vera fides Christi distinguitur à secta Hæreticorum, ac dicitur Apostolica.
- 29 Apostoli fundarunt Ecclesiam sua prædicatione, ac sanguine.
- 30 Ecclesia dicitur Apostolica, quia doctrinam datam ab Apostolis semper puram retinet.
- 31 Doctrina Apostolica per bona opera certam facit vocationem.
- 32 Dicitur Ecclesia Apostolica ob conservatam successionem ab Apostolis.
- 33 Explicatur hæc successio exemplo.
- 34 Hæc successio ostenditur in Ecclesia Romana, & n. 35.

UT Ecclesia Sancta Dei distingueretur à Sectis, ac Conventiculis Hæreticorum, dicta est Apostolica à Concil. Constantinop. 1. in cujus symbolo exprimitur, *Una Sancta, & Apostolica Ecclesia*, quæ appellatio ei antea erat data à Concilio Nicæno; ut testatur Theod. lib. 1. Hist. c. 19. & 2. & eodem modo loquuntur Patres in sequentibus Conciliis Ephesino, Constantinensi, sexta Synodo, &c. D d 3 Primò